



Fuit mihi aliquando canis, cui nomen Gacek (Latine *Plecotus Auritus*) erat et quem plus oculis meis amabam. Sed, quia iam vetus et aeger erat, brevi mortuus et tunc in silva, non procul a domo mea rustica, sepultus est. Uno mense interiecto sensi me sine cane vivere non posse et novum canem mihi quaerere debere.

Multas paginas interretis lustrabam, ut canem mortuo similem invenirem. Primus, quem inveni, et cui *Jello* nomen erat, timidissimus mihi et nimium diffidens videbatur. Alterum in refugio



canum nacta sum. Nomen ei Tymianek (Latine *Thymus*) erat. Neque homines, neque copulam, neque autoraedas, neque urbem noverat. Omnes omniaque timebat, sed ita cani meo illi mortuo similis erat et ita pulcher mihi videbatur, ut eum suscipere, delictum meum facere

et apud me fovere statuerem.

Consilium hoc brevi pessimum apparuit. Canis enim novus in domo nostra receptus omnia nostra (ut specilla, calcimenta, libros etc.) mordebat devorabatque domique etiam meiebat et cacabat. Horridum memoratu... Primum Uszatek (ab alio nomine Gacek), nominatus, brevi Nocek (ex Latino „nocere”, Graece *Myotis*, alioquin et *Gacek*, et *Nocek* nomina sunt, quae vespertilionum genera in Polonico significant) nuncupatus secundum nomen suum multum domui nostrae nocebat. Medicos aliosque viros canum peritos (*instructores canum* nuncupatos) nullam pecuniam parcendo invitabamus, ut nobis canique misero prodessent. Nihil enim ei prodesse videbatur. Die tertia Decembris anno MMXVI Nocek, cum marito meo spatiatum et sono aliquo mirabili territus, copula explicitus fugit et nusquam multos per dies visus est. Omnes vias omniaque prata, fora omniaque loca lustrabamus, sed Nocek noster evanuit quasi

fumus in aere. Flebam Deumque Optimum Maximum orabam, ut canem (quamquam malum) mihi invenire sineret. Bruma appropinquabat, quae gelu nivesque secum trahit. Quorum timebam Nocentem non fore superstitem. Tunc mihi nuntiatum est canem meo similem in campo Mocotovio visum esse. Gaudium meum magnum erat et statim locum illum adii. Erat enim locus idem, quo Nocek olim institutus erat. Sed suspicabar potius eum, semper illuc autoraeda vectum, iter in campum invenire non posse...

Veni nihilominus in Campum. Ibi feminam duobus cum canibus spatiantem vidi alterumque illorum ut canem meum profugum agnovi. Cum ei appropinquavissem, femina ista dixit mihi, ne timerem, hunc enim SUUM canem esse mansuetem. Tunc eum sensi non meum, sed illius, meo tamen tam similem ... Maerebam itaque et titulos omnibus scamnis Campi applicabam. Quibus scriptum est: DIE TERTIA DECEMBRIS HORA SECUNDA NOCTURNA IN VIA RASZYŃSKA VARSOVIAE CANIS MEUS COPULA EXPLICITUS FUGIT. NOMEN EST CANI NOCEK, MAGNITUDE PAULO INFRA CANEM PASTORICIUM GERMANICUM, COLORE PELLIS NIGRO CUM FLAVO MIXTO, AURIBUS MAGNIS ET STANTIBUS. TIMIDISSIMUS, AB HOMINE DIFFICILE CAPI POTEST. QUISQUIS CANEM PROFUGUM VIDIT, ROGO, ME CERTIOREM FACIAT. ADIUVATE, PRODESTE!

Diu responsum exspectare non mihi erat necesse. Brevi multi homines boni mihi nuntiabant se canem meum in Campo vidisse, sed eum capere non potuisse, quia fugeret. Quattuor diebus continuis in Campum cum amicis veni, ut canem meum caperem. Pedibus birotisque Nocentem sequebamur. Pluit tum pessime. Singuli tantum homines in Campo erant. Amita quoque mea mihi aderat. Quae cum farcimine in manu canem quaerebat eumque vocitabat. Haec prima Nocentem vidit eumque sequens, farcimenque quatiens magna voce clamabat: „Sta, nebulo!” Sed ut amita mea in eum, quo canem viderat, locum accucurrit, canis iam fugit... Vir quidam in propinquo erat in Campo currens. Qui vocem amitae audiens et verba eius, id est amitae meae, ad se pertinentia sentiens, territus incaute pedes suos scamno offendit.

Denique ipsa canem proprium vidi, sed... ne mihi quidem Nocek tam territus appropinquare volebat. Tum auxilium a grege hominum peritissimorum, qui Polonice TROP, Latine VESTIGIUM nuncupantur, petivi. Qui iusserunt me solam, sine ullo aliorum auxilio, in Campum venire et optimam escam vestimentaue (semel quidem gestata nec posterius lota) mecum habere. Quae arboribus figere mihi suadebant. Maximique erat momenti, ne respicerem, donec canis me cognoverit et mihi appropinquaverit.

Diu in Campo vagabar, donec canem vidi. Tum parvas escae portiones post me iaciebam et canem non respiciens progrediebar.

Nocek, caudam vehementer movens, me sequebatur et nictiens escam (scilicet farcimen) devorare coepit. Manus mihi tremebant, animum in naso habebam, denique copulam collo canis imposui profugumque in autoraedam meam duxi. Alvus tum erat cani inflata. Ubique in Campo tempore fugae suae vescebatur: in cauponis omnibus (in campo hoc permultis) et cibariorum reliquiis proiectis ab hominibus, quae inter purgamenta inveniebat (id maxime, puto). Cum iam domi convaluit, ita pedem meum asservare coepit, ut in silva quoque eum secuta sine copula emittere possem. Iterum fugere et familia sua privari noluit.

